





1. *Musei s. Joh. diff. in Exist. an Romanos* Cap. IX. v. 19 = 23. *Jene 1652.*
2. *diff. de vera presentia corporis Christi in S. Coena.* *Jene 1652.*
3. *diff. II. de natura et definitione Ecclesie.* *Jene 1655.*
4. *diff. de resurrectione Christi a mortuis,* *Jene 1653.*
5. *Musei s. petri diff. de Baptismo,* *Helms. 1669.*

14 751



DISPUTATIO  
DE MIRABILIT-  
TER SINGULARIBVS  
ET SINGULARITER  
MIRABILIBVS DEI  
operibus & actionibus,


SUB PRÆSIDIO  
CHRISTOPHORI PE-  
largi S. S. Theologiæ D.

*à Respondente*

M. JOHANNE MULLERO H.A.  
velbergensi Marchico. concinnata & ce-  
lestis veritatis studiosis proposita

ANNO 1598.

3. Idus Februarij.



FRANCOFVRTI  
*Typis Andreae Eichornis.*



D



Amplissimo, Gravissimo &  
integerrimo V I R O

D N. HENRICO GER-  
MERO CELEBERRIMAE HAM-  
BURGENSIUM REIPVB. SENA-  
TORI SPLENDIDISS. DIGNISSI-  
moq; affini & Mæcenati suo plu-  
rimùm colendo & singula-  
riter observando

NEC NON

EXIMIO, PRVDENTI, CIR-  
CVMSPECTO VITAE MORVMQVE IN-  
tegritate spectatissimo viro IOACHIMO MVL-  
LERO eiusdem Hamburgensium Reipub. Ci-  
vi dignissimo fratri suo cum  
primis caro

Hanc disputationem de-  
dicat & offert

M. Iohannes Mullerus  
Respondens  
& thesium author.

DISPUTATIO DE MIRABILITER SINGULARIBVS ET SINGULARITER MIRABILIBVS DEI operibus & actionibus.

THESIS PRIMA.



Mnibus & singulis in Tob. 12. v. 8. historia angeli Raphaëlis verba, *μυσήριον βασιλέως καλὸν κρύψαι, τὰ δὲ ἔργα δὲ θεῶ ἀνακαλύπτειν ἔνδοξον;* gnauiter perponderanda esse ita statuimus.

2.

Nam nos ad unum omnes illis sanctus angelus vult admonitos : ut sicut mysterium regis bonum est abscondere ; ita honorificum Dei opera revelare, pio devotoq; animo trutinare, trutinata alijs meditanda proponere, proposita & meditata in sinu mirari : ut semper Deus in operibus per nos glorificetur & indefinenter laudetur

3.

Vt itaq; nobis operum Dei in timore Domini contemplandorū ansa & occasio daretur : placuit hac vice de hsdem mirandis Dei operibus & actionibus ordine agere: & cum multum adiuuet cor fidele, scire quid credendum non sit, *ὀρθοδοξίαν καὶ ψευδοδοξίαν*, pro ut materiae ratio efflagitabit coniungere visum est.

4.

Sunt autem singulariter mirabilia & mirabiliter singularia Dei opera, *vel κοινὰ; vel μερικὰ, si-  
A 2 ve ma-*

1.

2.

3. ve mauiis εἰδικὰ: vel καθ' ἑκάστα. 5.

Κοινὰ sunt, quibus Deus cœlum, terram, mare,  
& omnia cùm spiritualia tùm corporalia, quæ in  
his continentur: sicut ex infinita bonitate creata  
Act. 4 v. 24 sunt; ita quoq; ex infinita gratia, immensa bonita-  
te, inexhausta, ineffabili & inexcogitabili miseria  
Act. 17. ver. cordia, tam magna, quam parva curat, conservat,  
24. & 27. sustentat & gubernat. Dan. 4. ver. 32.

6.

Sunt autem hæc vicissim triplicia. Nam eos-  
rum nonnulla sunt κτίσεως: Nonnulla σωτηρήσεως:  
Nonnulla κυβερνήσεως opera.

7.

Ad κτίσεως opera pertinent: quod Deus in-  
tra sex dies ex nihilo omnia creaverit. Gen. 1. ver.  
1. & Gen. 2. ver. 1. & 2.

8.

Primo quidem die cœlum & terram: in nul-  
lum verò quicquam redegit ordinem: sed luce  
2. Cor. 4. duntaxat creatâ indigestam tenebrosamq; mundi  
ver. 6. massam collustravit, ut hinc discrimen diei no-  
ctisq; exurgeret. Gen. 1. ver. 3.

9.

Secundo die mirabiliter efformavit cœlum,  
& firmamentum, vel potius, ut textus hebraeus  
פִּקְדָּוֹ sonat, expansionem inter aquas constituit & con-  
solidavit. Gen. 1. 7.

10.

Tertio die discrevit aquas ab aquis, ut terra  
ex aquis, quibus antea immersa iacebat, subvehe-  
Gen. 1. v. 9. retur, & tamen in aquis fundaretur immobiliter,  
Psal. 104. & arida maneret, eiq; fructificandi vim indidit,  
ut

ut proferret germen, herbam seminificantem semen suum, arborem fructiferam suæ speciei fructum facientem. Gen. 1. ver. 11.

11.

Quarto vero die splendidissimè ornavit Deus cœlum Sole, Luna, omniscq̃ generis lucidis & splendentibus stellis. Gen. 1. 18. Psal: 136. Jerem. 31.

12.

Quinto die complevit mare & aquas omnis generis piscibus, & animalibus tam volatilibus quàm reptilibus, Gen. 1. ver. 21.

13.

Sexto die faciem terræ reptilibus, bestijs, volucris, iumentis, replevit, & homine, tanquam omnium irrationalium creaturarum dominatore, ultimo loco creato, quievit Deus die septimo. Gen. 1. & 2.

14.

Cum itaq̃ omnia, quæ creata sunt, à Deo summo bono, originem trahant, non possunt non omnia creata esse bona ut Moses ipse testatur his verbis: Et vidit Deus omne quod fecerat, & ecce erat valde bonum. Gen. 1. ver. 31.

15.

Propterea Deus nullo modo mali, quod in 1. Iob. 2. mundo est & dominatur, causa fingi potest. Ioh. ver. 16. han. 1. ver. 3.

16.

Nam & ipse diabolus, non ut diabolus, *Augustinus de nuptijs & concupiscent.* qualis iam est, sed quemadmodum à DEO ab initio creatus fuit, non malus sed bonus & sanctus fuit angelus: præclarissimis verò & *lib. 1. c. 23.*

A 3

excel.

excellentissimis suis angelicis donis contra Deum præ superbia abutens, & ἀυπερσείως se à Deo ter Opt. Max. suo creatore proprio motu & instinctu avertens & deficiens, cum totâ sibi contra Deum adhaerente cohorte pessimus & nequissimus spiritus propria culpa factus est, Ioh. 8. v. 44. 2. Petri 2. Apocal. 12.

Damascenus  
lib. 2. orth.  
fid. cap. 27.

17.

Hic ter execrandus & omnium nequissimus spiritus in odium Dei Evam & per eam Adamum nostros πρωτοπλάστis à Deo se avertere & proprio motu à summo bono deficere fecit: quo lamentabili primorum hominum lapsu tota hominum natura horribiliter conspurcata, contaminata & co-inquinata est, & hinc omnia mala in mundum introducta sunt. Gen. 3. 2. Cor. 11. 1. Tim. 2. Rom. 5.

18.

Et hoc ipso tempore circuit ceu leo famelicus & rugiens, in nullas non occasiones intentus quærit ut aliquem decipiat, deceptum à Deo abducatur, à Deo abductum crudelissimè devoret: Et nullo non tempore mali auctor bonas Dei creaturas conspurcare satagit. Ioh. 8. v. 44. 1. Ioh. 3. ver. 8.

1. Petri 5.

19.

Execrabilis ergo est Manichæorum error, qui duo principia constituerunt: Bonum, à quo omnia bona: Malum, à quo omnia mala proficiunt. Nullum est dubium, hunc errorem Manichæis ipsummet malignum spiritum instillasse, ut dum mala operatur, ceu Deus per homines coleatur.

Nicephorus  
lib. 6. cap. 31.

Et



20.

Et quamvis in quibusdam sacrae scripturae *Esa. 49. 7.*  
locis mentio fiat, quod Deus malum creet, tamen *Amos 3. 6.*  
id non de malo culpa, sed poenae ex iustissimo &  
æquissimo DEI iudicio inflictæ aut infligendæ  
intelligendum venit. *Syracid. 40. v. 35. & cap. 11.*  
ver. 14.

21.

Præterea hinc apparet Philosophorum prin-  
cipem Aristotelem sola nitentem ratione, quam  
suo loco aliquid valere facile concedimus, ianuâ  
aberrasse, & cum ratione insanisse, dum negat,  
quod humanâ ratione & mundanâ sapientiâ com-  
prehendere non potuit, *ἐκ τῆς μὴ οὐτὶ* aliquid fieri  
posse, & quemadmodum Moses scribit, Deum ex  
prorsus nihilo totum mundum creasse & effor-  
masse, *Gen. 1. 1. Ioh. 1. ver. 3.*

22.

Cum verò ex nihilo aliquid fieri cum Philos-  
ophicis principijs minimè convenire posse vide-  
ret, somniavit contra sacram scripturam, in qua *Phys. lib. 8.*  
Deus nobis hoc mysterium testatum fecit, mun- *1. de caelo.*  
dum cum æterno Deo æternum esse: Siquidem  
motum absq; movente esse non posse ipsamet ra-  
tio dicitur.

23.

Quod principium nos Christiani naturæ na-  
turalia sed Deo & sacrae scripturae divina magis  
credentes in Philosophorum foro disputandum  
relinquimus, & in Theologorum forum minimè  
transferendum suademus.

Miserè:

24.

Miserè etiam lapsi sunt Stoici Philosophi, qui opinati sunt, quòd etiamsi mundus initium habeat, nihilominus materia, ex qua creatus est, Deo coæterna sit: quod itidem scripturæ non convenit. Gen. 1. 1. 2. Cor. 4. ver. 6.

25.

Et quamvis Philosophorum cohors maxima in hoc conveniat, quod ex æterna materia omnia creata sint: tamen ne humanæ rationis suffragij iacturam facerent, quæ negat ex nihilo quicquam fieri, acerrimè digladiati sunt, quænam esset illa materia, ex qua mundus creatus diceretur.

26.

In diversas itaq; distracti sententias: alter hanc, alter illam amplexus est. Heraclitus ex igne: Diogenes ex aëre: Thales ex aqua: Empedocles ex quatuor elementis. Sigillatim Democritus ex atomis elementa, ex elementis reliquas creaturas ex fortuito quodam concursu extitisse deliravit.

27.

Quas opiniones Philosophicas, ceu cerebelli humani somnia cum scriptura ex diametro pugnantia rejicimus & detestamur. Syr. 34. v. 2. 5.

28.

Tantum de creatione, nunc de conservatione, quæ itidem secunda communium Dei operum species est, agendum venit.

29.

Conservat autem Deus à se conditas creaturas, aut ἐμμεσως aut ἀμέσως.

Sic

30.  
Sic ἐμμέσως conservat genus humanum.

31.  
Nam vi Dei verbi, quod in Paradiso semel protulit: crescite & multiplicamini &c. Semen hominum prolificum factum est, ut ex coniunctione maris & feminae totus homo cum corpore & anima simul, mediante semine formetur, procreetur, & citra omnium hominum rationem & sensum in huius vitalem lucis usuram edatur. Esaiæ 44. v. 2. Jerem. 1. v. 5. Sapient. 7. v. 1. 2. 3. Iob. 31. v. 15.

32.  
Cum vero semina istud, quo mediante, ut dictum est, homo procreatur, ab Adamo πρωτοπλαστω qui ex pulvere terrae formatus est, originem trahat: propterea dicimur & nos corporis respectu hanc ipsam ob causam ex limo & pulvere terrae formati & procreati. Iob. 33. ver. 7.

33.  
Animam vero rationalem, ut Adamo ἐμμέσως; Gen. 2. 7. sic nostrum cuiuslibet in utero materno efformato corpori ἐμμέσως largitur. ut Paulus electissimum Dei organon testatum facit dicens: αὐτὸς διδὸς πᾶσι ζωὴν καὶ σωτὴρ καὶ τὰ πάντα. Act. 17. Zach. 12. 1. Esia 42. 5.

34.  
Et quemadmodum per vitae spiraculum, nempe animam rationalem, homini vitam concessit: ita contra omnes furores diaboli, tyrannidem hominum, per mille pericula ducit, sapissimè contra naturae cursum sustentat, fovet & alit eandem  
B dem

*Psal.* 90.4. dem, donec vult & divinæ ipsius voluntati & ma-  
*Psal.* 104. iestati visum fuerit conservat. *Sapient.* 16.7.13.  
*ver.* 29.

35.

Imò cuilibet certum vitæ terminum metamq̃,  
*Iob.* 14.7.5. quam homo transgredi non potest, pro divina sua  
*Iob.* 16.22. voluntate & beneplacito constituit & fixit. *Psal.*  
139. ver.15. Item 39. ver.6.

36.

*Psal.* 55. Hoc tamen observato discrimine, ut impijs  
*ver.* 23. plerumq̃ propter præcedentem impietatem vis  
*Psal.* 109.8. tam abbreviet, decurtet & abrumpat sæpissimè in  
*Prov.* 10. medio vitæ curriculo aut florente ætate. *Iob.* 21.  
*ver.* 26. ver.21.

37.

Et quamquam Deus etiam impios sæpissimè diu superstites esse sinit: tamen id plerumque in illorum coram mundo & Deo opprobrium, cum ex Dei μακροθυμία ad pœnitentiam concessio tempore non emendentur, sed peiores & deteriores fiant; propterea etiam maiores in inferno pœnas luent. *Lucæ* 12. ver.47.

*Esa.* 65.20.  
*Iob.* 21.30.

38.

E contrâ pollicetur & constituit Deus pijs  
*Exod.* 20.12. hominibus longævam, felicem, beatam, omnium  
*Deut.* 30. rerum tam spiritualium, quàm corporalium afflu-  
*ver.* 20. entia abundantem vitam. *Iob.* 5. ver.25.

39.

Et quamvis interdum etiam pios Deus premi, vexari, & à mundo & diabolo probè affligi, aut etiam maturius mori patiatur: tamen illorum  
plaga,

plaga, tribulatio, afflictio ut & maturior mors  
vergit illis in bonum & emolumentum. Nam  
cum iusti & misericordes fuerint congregantur in  
pace propter malum mundo venturum, & ingre-  
diuntur in pace & requiescunt in cubiculis suis. E-  
saiæ 57. ver. 1. 2.

40.

Imò ex Hiskiaë exemplo evidenter & mani-  
festè apparet, quòd Deus sapissimè homini vitam  
quam propter præcedentia peccata abrumpere &  
abbreviare constituerat supra statum terminum &  
metam conditionaliter fixam, ex merâ gratiâ &  
misericordia, homine serio animo pœnitentiam a- *Esa. 38.*  
gente, ad plurimos annos prorogare soleat.

41.

*Αμείωτος* verò conservat DEVS fontes scatur-  
rientes, flumina indefinenti cursu in mare & vi-  
cissim è mari in suos alveos contendentia & re-  
currentia: Item sanctos angelos in illa, quâ se-  
mel creati sunt & manserunt natura, & quando  
vult nostrum quemlibet etiam præter & contra  
naturæ cursum conservare potest, sicut Exem-  
plum Eliæ edocet, 1. Reg. 18 ver. 8.

42.

Nam causis secundis prorsus alligatus non  
est, ut ex priùs allegatis dictis & exem-  
plis satis testatum fit, & hinc etiam imprimis  
B 2                      manife-

*Iosue* 10. manifestum evadit: quod solis cursus possit revo-  
*Exod.* 14. care volantes, & velut scopulos flumina stare iu-  
beat.

43.

Damnabilis ergo est error Stoicorum opi-  
nantium Deum cursui naturæ aut naturalibus usi-  
tatisq; medijs esse alligatum.

44.

*Niceph. Ec-  
clesiast: hi-  
stor: lib. 10.  
cap. 26.* Damnandi omnes Epicuræorum de grege  
porci, qui magnam in mundo ἀταξίαν, inæquali-  
tatem, et tam pios quam impios temporali morte  
sine ullo discrimine corporalibus oculis conspi-  
cua abripi cernentes, prorsus Deum nullum esse  
inferunt. *Psalm.* 14. v. 1. *Psalm.* 73. v. 12. *Sap.* 2. v. 2. 3.

45.

*Job.* 22. ver.  
13. 14.  
*Esa.* 29. 15  
Aut si maximè naturæ ductu & rationis lu-  
mine convicti, inviti concedere coguntur Deum  
esse: tamen execrabilis & detestabilis error est,  
quòd Deum in cœlis delicijs & ocio frui somni-  
ent, & nescium esse quid in terra rei sive parvæ si-  
ve magnæ, sive bonæ sive malæ, sive honestæ sive  
turpis agatur. *Ierem.* 23. 24.

46.

Aut si maximè sciat & videat: tamen nullius  
curam agere, sed omnia sursum deorsum volui-  
*Mal.* 2. 17. permittere. *Psalm.* 10. v. 4.

47.

Hoc de secunda communium Dei operum  
specie satis dictum esto: properemus iam ad ter-  
tiam quæ est κολοβήσεως.

48.

Est autem κολοβήσεως opus Dei, quo universum  
mundum

mundum & quicquid in eo est, regit & disponit.  
Dan. 4. 32.

49.

Idq; aut secundum misericordiam aut iudicium.

50.

Misericordiae opus est, quo, ut omnia creavit, sustentat, fovet, vestit; ita ex mera benignitate omnia gubernat, & super bonos & malos suum Solem oriri sinit, Matth. 5. ver. 45.

51.

Iudicium exequitur si quis misericordia abutens & tempus gratiae & salutis contemnens liberè & intrepidè contra ipsius sancta decalogi praecepta peccat. Exodi 20. ver. 5.

52.

Et hoc iudicium exequitur Deus tripliciter: in morte spirituali; temporanea; aeterna.

53.

Spiritualis mortis iudicium Deus statim in Paradiso, sicut protoplastis, si de arbore vetita comesturi essent, minatus fuerat, executus est. Nam Adam & nos omnes in Adamo & per Adamum spiritualiter sumus mortui & abalienati à vita quae ex Deo est. Eph. 4. ver. 18. Gen. 3.

54.

Temporaneae mortis iudicium premit nos quoq; omnes. Nam propter universalem humanae naturae corruptionem omnes temporanea morte morimur. Rom. 5. v. 17. Ebr. 9. v. 17.

55.

Aeternae mortis iudicium habebitur in die  
B 3 novissi-

novissimo super omnes impios ab illo qui constitutus est iudex vivorum & mortuorum. Matth. 25.2. Cor. 5. ver. 10.

56.

*August: contra Pelagianos de peccatorum meritis & remissione.*

Ex hac tertia communium Dei operum specie apparet, damnandum esse Pelagium, qui nos naturam spiritualiter non mortuos esse, sed adhuc post lapsum aliquam naturalem *δύναμιν* aut facultatulam, qua nos erigere & ad Deum convertere possemus, nobis à naturali nativitate inesse somniavit citra & contra scripturam. Rom. 8. ver. 7. 1. Cor. 2. ver. 14.

57.

Deinde hinc refutantur Philosophi gentiles, qui ex naturæ vitiositate & *δυσκρασία* humanam naturam temporariæ morti, & non potius propter maledictionem lapsum primorum parentum secutam, subiectam fabulantur.

58.

Tertiò hinc apparet Sadducæorum & aliorum profligatæ pietatis hominum à diabolo excæcatorum, æternam mortem & ultimum iudicium aliquando fore perveraciter negantium, error.

59.

*μερικὰ* sive *εἰδικὰ* θεῶν ἔργα sunt, quæ vel in pijs, *προσηγούσις*, vertumnis, apostatis & reprobis operatur.

60.

Et hic iterum pro diversitate hominum, qui aut



aut pijs aut impijs sunt, diversimodè Deum operari  
facit codex testatur. Ioh. 3. v. 18. Rom. 8. ver. 30.

61.

Erga pios exercet opus misericordiæ: dum *Eph. 1. v. 4.*  
eos in Christo vera fide apprehenso eligit, iuxta  
beneplacitum voluntatis suæ, electos vocat, voca-  
tos regenerat, regeneratos iustificat, iustificatos  
glorificat. Rom. 8. ver. 30.

62.

Hæc omnia in Electis Deus operatur poten-  
tissimè, validissimèq; per & propter Christum  
absq; ullo nostro merito, virtute, aut dignitate, sed  
*κατὰ τὴν εὐδοκίαν & θελήματος αὐτοῦ εἰς ἔπαυσον τῆς δόξης αὐ-*  
*τοῦ.* Eph. 1. v. 5. 14.

63.

Erga impios in Christo oblatam gratiam fu-  
reter & contumaciter respicientes vel absq; ulla  
vitæ morumq; emendatione etiam admonitos fi-  
naliter in impietate perseverantes immutabilem  
suam divinam iustitiam exercere cogitur. Matt. 25.

64.

Hanc verò, præeunte scriptura vel activam,  
vel permissivam esse asserimus.

65.

Activa est vel beneficij: vel pœnarum.

66.

Beneficij activam iustitiam exercet erga  
credulos & vera fide in Christum fixa ad thro-  
num gratiæ confugientes, dum illis peccata  
propter Christum remittit, eorum clamores,  
gemitus & suspiria exaudit, ab afflictione &  
oppressione liberat, liberatis parcit, prævari-  
canti-

cantibus, sed resipiscentibus, et iterum iterumque propter Christum remissionem peccatorum petentibus remittit, & illorum peccata omnia in profunda maris projicit. Mich. 7, ver. 19.

67.

Pœnarum activam iustitiam exercet dum contumaces peccatores pœnitentiam agere nolentes, punit & omnis generis calamitatibus, & plagis affligit & premit. Deut. 28, v. 16. & 17. Esa. 5, ver. 24.

68.

Id quamquam varijs imo innumeris modis fieri videmus: tamen docendi gratia distribuimus in pœnas spirituales, singulares, communes & æternas.

69.

Spirituales sunt quando Deus propter nostra peccata nobis bona spiritualia subtrahit, & horum loco omnis generis mala succedere sinit, quæ tristitiam & anxietatem nostris pectoribus pariunt. Esa. 6, v. 9. Amos. 8, v. 12.

70.

Communes cum integra regna, regiones & civitates fame, gladio, peste, bello puniuntur, Esa. 24, v. 6. Deut. 28.

71.

Singulares, quando singuli affliguntur. Ierem. 44, ver. 7.

72.

Æternæ, quibus futuro seculo discutiabuntur omnes apostatici & damnati spiritus & homines. Esaia 34, ver. 9. Ierem. 17, ver. 4.

Solet

Solet autem Deus ἀμέσως ipse interdum transgres- *Jerem. 5.*  
 soribus præmemoratas pœnas infligere; aut ἐμμέσως *ver. 12.*  
 per angelos sive bonos sive malos; per magistratum: *2. Reg. 19.*  
 aut etiam per homines privatos. Sicut Ionam per *ver. 35.*  
 nautas in mare abiicit. *Ionæ. 1.* *Esa. 10.*  
*ver. 5.*

Permissiva verò Dei iustitia est, qua iustissimo iudicio diabolo & hominibus, propria malitiâ & per-  
 versitate, transgredientibus, peccata, quæ nec vult, nec  
 approbat, quorum etiam nec causa nec auctor est, vel,  
 ut qui est summum bonum, esse potest, patrare per-  
 mittit.

Peccatorum autem permissio prorsus nullam in-  
 fert coactionem, neq; Deum causam mali, aut auctore  
 peccati arguere potest, ut quidam vertiginosi & ven-  
 tosi spiritus volunt. Ipse enim est Deus Nolens ini-  
 quitatem, ne cuiquam dat peccandi licentiam. *Eccl. 15. ver. 21.* *Psalm. 5.*

Præterea quomodo Deus peccata odisse? quo-  
 modo, legibus prohibere? quomodo patrata pec-  
 cata gravissimis pœnis punire? quomodo damna-  
 re posset? si ullo modo sive propriè sive impropiè, si-  
 ve simpliciter sive secundum quid peccati causa, initi-  
 um aut auctor foret. *Exod. 20.*  
*Deut. 28.*  
*Matth. 25.*

His singularibus Dei operibus annumeratur im-  
 primis mysterium ἐνσπερκώσεως ἑ λόγῳ. Nam Sacrosan-  
 cta Trinitas summâ generis humani à diabolo, ut an-  
 tea innuimus, foedè seducti miseriam mota est: ut, consi-  
 lio inito, viam & modum genus humanum ex miseria  
 liberandi concerneret.

Cum vero nullum aliud medium, quo id fieret, nec in cœlo nec in terra, propter Dei summi boni per inobedientiam *πρωτοπλάτων* violati immutabilem iustitiam inveniri posset: nisi ut Dei summi boni infinitæ iustitiæ infinitum *λύτρον* persolveretur, & ex Dei inexhausta misericordia & infinita iustitia unum quasi temperamentum fieret.

Propterea *ὠρισμένη βελή καὶ προγνωσίαι*, ut Petrus loquitur, secunda Sacrosanctæ Trinitatis persona, non Pater, non Spiritus sanctus; sed *λόγος*, qui est *διώαμις ὑψίστη* in medium prodijt, & Spiritu sancto Mariam virginem obumbrante, ex eâ, (quod maximè mirandum) in conceptione & post partum inviolata *ἀειπαρθένω* manente, humanam naturam ex corpore & anima rationali constantem, cum omnibus proprietatibus humanis, excepto tamen peccato, integram assumpsit, verus Deus, qui ab æterno erat, permansit, & *ἀτρέπτως* homo factus est, quòd eleganter Damascenus testatum facit his verbis; *ὁμολογῶμεν ὅτι πάντα τὰ φυσικὰ καὶ ἀδιάβλητα πάθη ἀνθρώπου ἀνέλαβεν ὅλον γὰρ τὸν ἀνθρώπου καὶ πάντα ἔανθρώπου ἀνέλαβε, πλὴν τῆς ἁμαρτίας.*

*Actor. 2. ver. 32. Luc. 1. 35. Esa. 7. Damasc. lib. 3. c. 1. orthodoxæ fidei. Philip. 4. ver. 7. 8. 1. Ioh. 3. ver. 5. Iohan. 1. Gal. 4. 4. Ebr. 2. 4. Ebr. 7. 26. Iohan. 1.*

lib. 3. orthodoxæ fidei. cap. 20.

Nunc veniendum ad opera Dei καὶ ἕκαστα quæ sunt summa maxima & imperscrutabilia: & sunt aut personalia, aut officialia,

Personalia sunt, quæ Sacrosancta Trinitas intra divinam essentiam personaliter operata est, ut quod Pater prima Trinitatis persona ab æterno Filium genuit

νuit' συναίδιον καὶ ὁμοῶσιον: Filius ab aeterno ex patris  
essentia genitus sit: & Spiritus sanctus ab utroq; pro-  
cedat.

82.

Officialia sunt, quæ cuiuslibet personæ officium  
concernunt, aut respectū seu relationem personarum  
innuunt: qualem respectum seu relationem perso-  
narum in tribus Christianæ fidei articulis ordine ob-  
servatam esse evidenter apparet.]

83.

Nam Patri transcribitur opus creationis, non,  
ac si ab eo reliquæ duæ personæ, Filius & Spiritus san-  
ctus excludendæ essent: Sed quia pater fons & ori-  
go totius Trinitatis est, & à quo hoc ipsum Filius &  
Spiritus sanctus habent, quod cum Patre sint unus  
creator, unus Dominus, unus Deus & Pater omnium,  
qui est super omnia & per omnia & in omnibus nec  
bis. Ephes. 4. ver. 6.

84.

Filio transcribitur opus redemptionis propter  
intercessionem, satisfactionem & obedientiam pro  
nobis præstitam. Nam Filius intercessit pro gene-  
re hominum, humanam naturam assumpsit, in ea pro  
nobis patiens & moriens diabolum, mortem & to-  
tam infernalem vim prostravit, vicit, immutabili Dei  
iustitiæ satisfecit, ardentem Dei iram extinxit, & ex  
filijis iræ & æternæ damnationis filios gratiæ & mise-  
ricordiæ fecit.

85.

Spiritui sancto tribuitur opus sanctificationis.  
Quia nos per Evangelium vocat, vocatos suis donis  
illuminat, illuminatos sanctificat, sanctificatos in Chri-

C 2

sto

sto Iesu per rectam unicam fidem conservat, conser-  
vatis peccata benignè remittit, & in Christum cre-  
dentes ad vitæ usq; finem perseverare facit & æterna  
beatitudine condonat.

86.

Faxit Deus ut hæc singulariter mirabilia & mi-  
rabiliter singularia creationis, conservationis, guber-  
nationis, misericordiæ, iustitiæ, personalia & officia-  
lia ipsius opera quotidie contemplemur, admiremur;  
coram ipso nos humili animo peccata profitentes &  
in Christo eorum remissionem petentes humiliemus,  
& per & propter Christum Spiritus S. auxilio æter-  
na beatitudine potiamur. Amen.

F I N I S.



AB 22 841 (1)

ULB Halle 3  
002 043 793




Sb.


W19

Hilf.









B.I.G.

Farbkarte #13

M 75

DISPUTATIO  
**DE MIRABILIT-  
TER SINGVLARIBVS  
ET SINGVLARITER**  
MIRABILIBVS DEE  
operibus & actionibus,  
SVB PRÆSIDIO  
CHRISTOPHORI PE-  
largi S. S. Theologiæ D.,  
à Respondente  
M JOHANNE MVLLERO H.A.  
velbergensi Marchico concinnata & cœ-  
lestis veritatis studiosis proposita  
ANNO 1598.  
3. Idus Februarij.  
— 690 —  
FRANCOFVRTI  
Typis Andrea Eichorns.

